Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1933

Quelle:
Copyright:

432. Conſtabilit tempus iſtud objectio *Paulo* inter alias facta: noluiſſe ipſum pro defuncta *Anna Ferdinandi* conjuge ſacra perſolvere, quae ſub initium anni memorati exceſſerat. Exilio tandem multatum hominem idem *Autor* tradit. *foll.* 156.

VII. *Friderici Nauſeae Blancicampiani Doctoris &c. ad ſereniſs. et inuictiſs. Cæſarem Ferdinandum, De præcipuis quibusdam Clericorum et Laicorum abuſibus pro reformanda Eccleſia tollendis. Elenchus.* Praemittit Autor breve Argumentum, in ipſoque *Elenchi* ingreſſu et reformationis Eccleſiae neceſſitatem urget, et impoſitam ſibi a Rege, cui a ſacris concionibus, conſiliisque eſſet, abuſuum notandorum provinciam declarat. Stabilita mox triplici hac veritate: *Infinitos eſſe in Eccleſia abuſus. Abuſus cepiſſe originem a Sacerdotibus. Primum debere reformari Sacerdotes*, Abuſuum Catalogum a ſummis Pontificibus ſumto initio per omnes utriusque Reip. gradus texit, ut nec moderationem deſideres, nec improbes libertatem, videasque multa ſuaſiſſe *Nauſeam* ante duo ſecula, quae noſtro demum aevo perſuaſa ſunt. Id quod et liquidius fit in altera *Elenchi* Parte, quae inſcribitur: *Methodus tollendorum, vel moderandorum ſaltem abuſuum.* Elaboratum hoc Opuſculum a *Nauſea*, patria lingua *Grau* dicto, antequam *Joh. Fabro* in Epiſcopatu *Vienn.* 1541. ſuccederet, Titulus declarat; poſterius vero eſſe anno 1538. inde conficitur, quod in eo citet *Reſponſa* ſua *ad Germanicae nationis gravamina*, quae anno praedicto *Coloniae* f. lucem viderunt. *Catalogo Opp.* ſuorum, qui habetur ad calcem *Epiſtolarum* ad ipſum datarum *Baſil.* 1550. f. illud non inſeruit, quod, ut putem, typis nunquam deſtinatum fuerit. *foll.* 41.

VIII. Refutatio errorum *Jacobi Andreae* dicti *Schmidelini* Praedicatoris tunc *Göppingani* in Catechiſmo et aliis Scriptis ab eo editis germanice per A. V. S. 1562. Titulus: *Warnunge für den ſchedlichen vnnd verderblichenn Irthumbenn welche D. Jacob Schmidlin Prediger zu Göppingen vnnder dem Euangeliſchenn ſchein, Inn ſeinem Catechiſmo vnnd andern ſchrifften der hailigen ſchrifft vnnd dem glauben zuwider Inns Chriſtenthumb eingefuerbt* &c. Initium Praefat. *Doctor Jacob Schmidlin hatt Im 1561 Iar ſein Catechiſmum zu Tubingenn laſſen truckhenn, wie er ſolchen Im 60ten Iar zu Lauingen gepredigt* &c. A. V. S. e ſchola *Zwingliana* autor eſt, contra *ſophiſticam*, ut ait, *Tranſubſtantiationem* perinde ac contra *Impanationem*, *Companationem* et *Subpanationem* armatus. *foll.* 39.

CCCCXCVI.

Codex chartaceus lat. germ. 805
Sec. XVI. Folior. 77. 8. rudi manu perſcriptus Titulum praefert: *Paræneſis F. Johannis Erber*